



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Coll: Leodien: origo. n. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

X. *Iacobus Rex Angliæ Bancroftij Pseudo-Cantuariensis Antistitis vltus* 1612.
 consilio induxit in animum Collegium vt institueret Noui verbi Ministro-
 rum, in quo selectissimi quique sumptu publico alerentur ad quaestiones cum
 Catholicis controuersas scriptis libris discutiendas, & quibus possēt armis su-
 stentandas, surrexeratque aedificium ad cacumen in agro Londino proximo
 villæ cui nomen *Chelsey*, cum diuina Prouidentia nobilissimi viri mentem
 impulit vt doctis doctiores, Orthodoxos Heterodoxis opponeret, & ijs in-
 strueret subsidijs quæ ad pugnam hanc literariam essent maximè opportuna.
 Animaduertat quanto cum illius Insulæ emolumento quamq; exiguis præ-
 fidijs muniti Societatis nationisque nostræ viri hoc in genere desudarent in
 longinquas Regiones dispersi; cui malo vt occurreret de erigendo eiusdem
 Societatis & gentis Collegio serio deliberare cepit, eo consilio vt e vicino An-
 glicarum rerum rationes intuentes, deliramenta in quæ propriè suæ linguæ
 homines deuiarunt ediscerent, & facilius refutarent; promisitque vendito
 patrimonio decem millia librarum nostratum, si intra triennium conue-
 nirent quinque vel sex docti viri ad scribendum instructi, & iuniores alij
 ad similia certamina educandi, retento sibi iure ad duo millia vita-
 litio censui condendo quandocunque animus esset exigendi; In quam con-
 ditionem cum non veniret *Claudius* Generalis, duo millia in alios pios v-
 sus dispartitus est. Tum intermissâ conditione duos post annos dos octo
 millium aureorum nummum constituta est, & à *Claudio* accepta decimo ter-
 tio Octobris anni sexcentissimi duodecimi; quam acceptationem is qui do-
 nauerat coram idoneis testibus Chirographo suo firmavit eiusdem Anni
 mense Decembri, die vigesimo nono; & rursus post Collegium stabilitum,
 cum Anno decimosextimo esset Parisijs, & calumniarentur aliqui conditio-
 nes doni omittas esse, pridie calendas Februarias scripto testatus est à Nostris
 pacta omnia secum & cum *Claudio* esse seruata, neque se quidquam, neque
 ipsius iure quempiam exigere posse aliud, quam vt in quo ceperant mane-
 rent perseverarentque. Atque vtinam perseverasset ipsemet in eo virtutis sta-
 dio quod præ se pluribus annis tulit: Etenim in deuexa ætate captus amore
 mulieris non optimæ famæ vixit, mortuusq; est in eo viuendi statu, vt an ve-
 ræ pietatis sensus aliquis in eo permaneret merito dubitetur. Pecunia etiam
 quæ dederat in Italiam transmisa, & in agris coemptis vtiliter collocata, frau-
 de & dolo malo administrantis Itali, vel tota, vel pene tota periit; Deo infide-
 lis hominis donum respiciente: Quod damnum vt magna ex parte refarci-
 retur, *Richardus Blondi* Prouincialis industria ac diligentia perfectum est, pe-
 cuniâ altera ex eleemosynis corrogatâ. Domus etiam in pseudo-Ministorum
 vltum ex ædificatæ non fuit stabilis fortuna: Etenim Bancroftio è vicinis sub-
 lato, in hæretici operis dignum exitum, hoc est, infamè prostibulum dege-
 ueravit.

Vvilsonus
in Iacobo.
Ao. 1610.

Collegij
Leodiensis
origo.

Eius Colle-
gij primor-
dia Loua-
nij posita.

Nostri vt Donatoris voluntati quam citissimè gratificarentur,
 eodem iplo anno duodecimo Collegij primordia posuere Louanij in ea do-

Ecc 3

mo

1612.

mo quam Tyrones incolebant; quæ deinde Anno decimo quarto in duas partes diuisa est: nam extra præcipuam Equitum Melitensium habitationem erat altera iuncta fornice supra viam regiam cum amplissimo horto quam agricultor occupauerat: In hanc vñibus nostris apratâ migrarunt Nouitij cum Magistro, Rector datus est Collegio *Henricus Silifdonius*. Inchoatum opus tam vtile cum interurbare non posset hæreticus æmulator, nobili loco natos, & equestris ordinis viros aliquot, qui Louanium cum familia confluxerant vt Patrum solatio, & Religionis Catholicæ exercitio cum quiete fruerentur, affligere conatur, misso ex Anglia Apparitore qui citaret ad comparandû in Insula primo quoque tempore, possessionibus si non parerent spoliandos. Non tam testè hoc tentatum est quin innotesceret, itaque subdixerunt se aliquamdiu, & mutata quasi sorte, illa ipsa caritatis officia à nostris experti sunt quæ nostris in Anglia præstiterant; nam & clanculum ad Sacramenta admissi sunt, & in habitationem occultam, quantumuis arctam recepti, donec Orator Regius apud Iacobum conquestus de rei indignitate, ille negauit sua auctoritate factum esse, & Magistratus Louaniensis Apparitorem interceptum expulit ciuitate. Hæc anno duodecimo & sequenti euenerunt; quo anno numerabantur in domo Probationis Tyrones viginti sex.

Guilielmi
Bruni pietas.

XI. Inter hos *Guilielmus Brunus* Nepos, frater, & patruus Vicecomitum de Monte acuto; cuius Auus ante natam in Anglia hæresim, vltimus fuit illius Insulæ Regum Orator apud Summum Pontificem, qui in auita fide constantiam posteris in hodiernam vsque diem hæreditariam reliquit. At alia fuit *Guilielmi* prosapia, eximia virtus, quàm à primis annis ita inseruit diuina bonitas, vt quâquâ plus satis fortasse pro more patriæ venationis & aucupij oblectationes sectaretur, testentur tamen ij qui à Cõfessionibus illi fuerunt, innocentiam baptismalẽ mortali nullâ noxâ fuisse inquinatâ. Dum his vacat honestis licitisq; recreationibus, iniecta est ei diuinitus cupiditas sacrosanctâ Laureti Virginis adẽ inuisendi; Igitur distributis inter necessarios famulis, equis, canibus, sibi in reditû seruandis, trajicit in Belgiû; Nostros Audomari vt in itinere salutat; vix vnum diẽ rogantibus concedit quò Cõfirmationis Sacramento muniretur. Inuncto sacro Chrismate ablati sunt festinandi ardor; parere se fatius arbitratur præteritæ recodatione vitæ, & piarum rerum commentatione: In hac caducorum omnium concipit tædium, atque ad arctiorem viuendi rationem adijcit animum; certus valedicere seculo, incertus cui se familiæ tradat, redit in Angliam; ex reditibus factâ pecunia reuertitur Audomarum, atque iterum deliberans decernit inter domesticarum rerum Adiutores nostræ Societatis cooptari, humile illud & caritatis plenum vitæ genus tanto studio cõplexus, vt concessas alijs relaxationes negatas sibi optaret aut admitteret inuitus, corporisque salutem tam nihili faceret, vt bene ei precantem inhibuerit, donec doceretur & hoc concedi, quò Deo obsequium præstetur diligentius. Et creuere cum die omnes virtutes: Etenim honoris mundani sensum profus nullum habere videbatur, nullum terrenæ nobilitatis, nauseam potius generabat ho-

Eius humilitas & honorum contemptus.

norum